

14



The vignette by Stefano Della Bella
is De Vesme's No 37 (only state and use.)

46 pp, 1f blank

GENIO MAIESTATIQ.
SERENISSIMORVM CONIVGVM
COSMI PRINCIPIS
ETRVRIÆ,
MARGARITÆ ALOYSIÆ
AVRELIANENSIS,
NVPTIALEM PANEGYRICVM CONSECRAT

Valerius Chimentellius.



FLORENTIÆ,

Ex Typographia Iosephi Cocchini ad insigne Stellæ MDCLXI.

Superiorum permissu.



PANEGYRICVS.



IRABILE, ac perfectum illud opus, rerum omnium pulcherrimum, quas Diuina manus condiderit; primum humanæ familiæ patrem, ac propagatorem; altissimum felicitatis, supra quam vota deficiunt, tenuisse fastigium: Sacrosanctæ auctoritatis, nullis fabularum temeratæ ludibrijs solida suffragante fide quis nescit? Sed nemo peraequè ignorat, quàm cito flos hic tam fulgidi honoris contabuerit: risus hic beatitudinis tam serenæ in lacrymas illicò verterit miseriarum. Non etenim commentitiæ nescio cuius fœminæ returatum improuidè vas, innumeram malorum pestem, furialemque calamitatum colluuiem in genus humanum effudit: sed primigenia cupido diuini interdicti contemptrix, beatissimo innocentiæ patrimonio nuper locupletem euertit, ornatumque tot summis muneribus Principem, in ipso fortunarum carcere ad metam, heu! omni sæculo deflendam, omni posteritati formidandam allisit. Hinc mutata naturæ obsequia; turbatus ordo, atque inuersi fasces tam adoratæ potentiæ. Terra sponta-

neæ nuper fœcunditatis eiurare gratiam condidicit; neq. fidis vt anteà vberibus concepta ſemina fouere, atq. alere; ſed nouercali vlna comprimere, ſpinarum faſcijs inuoluere, malorumq. germinum gliſcente fibra necare. Non fruges inaratas Cælo tantùm ſeminatore creſcentes mortalium vſui diſpenſare; ſed copioſo vultus ſudore conſperſas, longaque patientia, atque expectatione educatas, vix tandem maligna fide reponere. Tot interim noxarum extimeſcenda tempeſtas, animatis ad nocumenta ſyderibus; ſiue vredo æſtiua, & ſiccus vapor retorreat; fœdus imber putrefaciat; ruens grando comminuat; niualis algor, ac pruinoſum gelu, ſata, agroſque deuaſtet. Neq. iam in arua tantùm, aut ſulcos ſepium anteà ignaros, atq. aperta innocentia ſecuros; ſed in ſuum dominatorem (quem tremere aut ſequi ſolebant) truculentæ è latibulis feræ prodeundo ſæuire. aut ſi quæ mitiùs cogitant, tamquam ſerui fugitores, atq. imperium detrectantes, horrere, & auerſari. Nihil idem, immune nihil aut intactum; nihil non ſuo vindictæ flagro percuſſum, atq. iuſto pœnæ vulnere afflictum, hæſuráque iugiter natorum natis cicatrice deformatum. Ille ipſe concordiſsimus nexus, quem Deus iunxit, nulla hominum temeritate laxandus; tametſi (quod præcipuum in ſe Diuinæ prouidentiæ nutum oſtendit) in antiqua firmitate perſtiterit, haud ſua tamen caruit tormenti lacínia, cum triſti illa denunciatione: In dolore paries filios. Quòd ſi hunc ipſum dolorem, non qualem naturæ neceſsitas puerperis imprimit; ſed profundiori ſenſu ad Regnantium Fœminarum enixus, Domoſq. Auguſtas læta ſobole propagandas traducimus; confeſſum ſanè, probatumque nimiùm

crebris

crebris quotidie experimur periculis, non vtero eas gerere aut parturire, niſi præuio dolore gentium; niſi orbis diù compreſsi, atq. afflicti onere, ac labore; niſi longa gementium populorũ defatigatione, atq. ærumna obſtetrice. Quot anni præſtruuntur bellorum, vt vnus nuptiarum articulus ædificetur! quot humanæ ſocietati repudia per infeſtos gladios mittuntur, vt vel vnicus thalamus regali thoro componatur! Hac etenim neſcio qua fatali intemperie in magnorum conditionibus hodie tranſigitur; vt niſi per apertas Iani fores ad Viriplacæ puluinar non adeatur. Libitina pronuba, & Marte parario publica malorum dos ante dicatur, ad Regias dein virgines collocandas. furiales irarum tædę ſanctis Hymenæi facibus pręluceant. per Allienſes tantùm & Atros ad feſtiua repotia tranſeatur. vilia ſint flammea, quæ cruor hoſtilis non tinxerit. ac non niſi poſt detritos diutina militia baltheos, puellares tandem zonæ ſoluantur.

Sed quando ſupremus iam annuit rerum omnium moderator (in cuius manu & arma ſunt, & Regum caducei) vt nocentiſsima irarum incendia, quibus nuper conflagrabat orbis, remiſerint; turbulentiſsimæ aut bellorum, aut ſeditionum tempeſtates, quibus pulcherrima terrarum pars, Europa hæc noſtra agitabatur, reſederint; felicitatem ſæculi extollere, beatitatem temporum prædicare, generis humani bonum effusè, atq. impotenter gratulari par eſt. Vos autem inclyti Reges, Vos Chriſtianę, & Catholicę Eccleſię Maximi Filij Matri cognomines; Vos Mundi columina, geminiq. Atlantes, quorum humeris vel iunctis vel diſcordibus, ſic fata mortalium aut turbida, aut ſerena reguntur; Vos anhelo iam Orbi expecta-

tiſsi-

tiſsimum opus partæ pacis, ac ſecuritatis, veſtra nuptalitij annuli impreſſa fide obſignaſtis. Penè iuuat audax verbum è pectore elicere: tam multas irarum, malorumq. cauſas hac mercede placuiſſe, vt in ſerenum hunc amoris, & fœderis ſtatum renouata Europa coaleſceret. Quæ ærumnis quamquam cædibuſque confecta, affatim inſtaurari videbitur, funeraq. ſua, ac mortes redimere, ſi multiplici Heroum ſobole Dominatrices veſtræ Domus propediem repleantur. Quemadmodum verò altioris sphæræ vertigo non ducitur, quin orbes quoq. minores impellantur ad motum: ita ad ſplendidiſsima Veſtra connubiorum auſpicia reliquus excitatus orbis, quid præter nuptiarum conſilia tam breui compleuit, quid captat nunc, quid mox agitabit? Quò Irides ſuas nunc verè pacificas, terreſtres Ioues delegant, niſi vt placido tranquilli arcus incubatu coronata capita in maritale fœdus coniungant? Aut quò feſtinant Mercurij magnorum arcanorum interpretes, niſi vt conciliatores agant, & auſpices? niſi vt formulas concipiant iucundas, pactiſque dotalibus leges dicant facundo ore gratiſsimas? Si quæ autem Domus imperio nata communibus hiſce ſe ſe implicans gaudijs, è regalium Hymenæorum face diſsilientes veluti ſcintillas conſerto ſplendore ſuſcepit, vna hæc Etruſca eſt. Si quæ gens publicis ſollicita officijs, ingentis voti reatum gratulabunda oſculatur, vna hæc Etruſca eſt. Si qui Principes nubilibus dextris corpora, animoſq. ritè, auguſtèq. oppignerarunt; altiſsimis fortunæ ſplendoribus, quæſitiſsimis naturæ donis, cumulatiſsimis virtutum, felicitatum, laudum titulis omni æuo celebrandi, ſuſpiciendi, inuidendi, Vos Etruſci COSME,

&

& MARGARITA, Sponſiq. fideliſsimi eſtis.

In tanta rerum ſecundiſsimarum amplitudine; in tam apparato exuberantiſsimæ felicitatis commercio; in tam iuſta certaq. publici boni æſtimatione, & incremento, quis aut ſilentij in ore, aut lætitiæ in pectore inofficioſum ſibi imperet modum? Delinquit ſanè in leges viuendi, atq. humanis bonis proteruè iniurioſum ſe facit, quiſquis continere ſe nouit. Ego verò, qui Veſtris ſvb ſyderibus naſcendi beneficium ſortitus, priuatæ ad hæc pietatis, & obſequij gloriam circumfero, ſilebo tandem? nec voces procurrentis iuſtiſsimè in plauſum animi mei indices, felicitatum veſtrarum interpretes, Etruriæ noſtræ inuſitata, ſummaq. gratulatione triumphantis, aſsiduas, atq. incorruptas teſtes emittam? Quamquam haud ita demum pleno concipiendi gaudij impetu ferimur: nec toto perfruendæ voluptatis curſu prouehimur. Agnoſcimus ſuaue infortunium, & fauorabile malum: quoniam ſine vllo gentis dolore, ſine vlla acuendæ lætitiæ illecebra; non per ſæua, & aduerſa; non per cædes, & ſanguinem, ad hunc nuptialis iucunditatis ſenſum, temporiſq. tam ſereni vſum peruenimus.

Quis enim ignorat fortunatiſsimæ prouinciæ ſortem, quæ vel in medijs fluctuantis Italiæ gurgitibus, altam inconcuſsi ſtatus malaciam retinuit? ac furentibus hac illac periculorum turbinibus, vt illa ſub dio antè Veneris Arcadicæ templum appenſa lampas, in extinctæ quietis ſplendorem ſecurior adnutrijt? Aut quis hic non videt (quod inuidere tam multi debeant) Vbertatis falcem cum Iuſtitiæ gladio feliciter iunctam? Suos hic dominis agros ſeruari; ſuos agris retineri cultus; ſuam quotidie cultibus gliſcere induſtriam?

ſtriam? quis non ſingulis, & vniuerſis ſartam tectam Rempublicam, iucundum Fas, ſaluum Honeſtum non violato tenore conſtare? Tu Ferdinande, Tu ille ſinceri gaudij auctor, & cuſtos, cui tam excellentium bonorum vſuram debemus. Tui muneris eſt, ſi Tyrrheno in littore quaſi tempeſtatum ignaro Alcyones ſecuritatis ſuum iamdiu nidum compoſuerint. Sanctiſsimis Tu illam ſeruare legibus, qualem liberis optimus pater ſeruat, omni tempore ſtuduiſti. Tu quæ alios ad bellum incendiſsent, aut falſæ gloriæ, aut præmaturæ cupidinis tentamenta, publicæ donans tranquillitati, vnam egregio in ſinu fouiſti. Parta, & accepta poſsidere, quàm Tuorum diſcrimine amplificare, Principe dignius ſemper exiſtimans. Nec tamen fines tuos haud contemnenda limitum margine ad Macram vſque promouere, diues magis an prudens desijſti. O raram verò gloriam, vbi opus extitit, vbi etiam erit, parem bello, ſed toga meliorem ſe ſe probare; neq. arma mouere, neq. mota extimeſcere; & in ſapientiſsimi tamen pectoris comitio tuendæ numquam non Paci ſuffragari. Coniuncta alios formidandis claſsibus freta, frementes in aciem ductæ phalanges, numeroſa hoſtib. adempta ſpolia, catenis tracta miſerorum agmina, confuſus amnibus cruor, cumulati cadaueribus campi, conuulſa mœnia, ſtrati aggeres, perruptę arces, expugnata, incenſa, direpta oppida, ad Cælum propè tollendo, in ipſo (vt loquebantur) Iouis ſolio tandem conſtituerint. Quanto illud, o quanto præſtabilius, ad melioris ſapientiæ præſcriptum, ad humani generis incolumitatem, ad diuinæ pręceptionis obſequium, togatis ſtudijs ita ſe gerere,

vt (quod rariſsimè bella ſinunt) ſua ſtet legibus vis, iudicijs auctoritas, artibus pretium : ſua parentibus dignitas, liberis honeſtas, moribus fides, ciuibus ſalus, ſacris veneratio retineatur: cunctis verum numen, & prouidentia, & maieſtas præſideant. Hæc florent, hæc vigent, hæc æſtimantur ſub Te Ferdinande. Tui hæc ſunt prudentiſsimi regiminis decora nullis vnquam reticenda litteris; nullis tamen pro eorum magnitudine ſatis æquis dicenda monumentis. Faceſſant hinc pernicioſi iſti bellorum inſtinctores : qui pretioſiorem ſæculis tunc fore augurantur Principis famam ; quò viliores ille humanas animas per veſanam Martis lanienam habuerit : qui ex Orci tenebris, atq. alto Lethæi gurgitis ſinu emerſurum ad poſteros nomen promittunt, quò plures ille ad manium ſedem, & buſta Parcarum, profundamq. lethi voraginem præcipitata fatorum neceſsitate cruentus dimiſerit. Egregia me Herclè laudatio! qualem brutis fulminibus tribuere prorſus conſueuimus; quorum breuis fulgor, & fragor inanis contemneretur, niſi ſtragem poſt ſe, ac funera; niſi fumantia cadauera, & luridos artus, conſepultoſq. ruina penates relinquerent. Quidni illud cõtaminatiſsimi Romanorum Principis ſubinde repetant; malè ſecum agi ob rerum proſperitatem condolentis, quoniam nulla tunc infortunia, nullæ malorum immitterentur procellæ, quibus nomen quoq. ſuum per ea calamitatum dicenda poſteris tempora memorabile magis increbreſceret? Ament intereà quicumq. velint parta terrore agnomina; qui Poliorcetes, & Cerauni, & Flagella, aut noxium magis aliud in orbe audiuerunt. Ornent Te potius Ferdinande pa-

cis vocabula ; quibus , & Pius , & Euergetes , & Iuſtus , aut aliquid amantius aliud nomineris. Feroci demum iactatione ſe efferat Magnus ille , qui innumeros ſtatim exercitus aduerſus Cæſarem naſcituros fore comminabatur , quoties pede tellurem pulſaſſet . Suauior , digniorq. gloriatio Tua Ferdinande : quacumq. oculos , nutumq. moueas indulgentiſsimum , placabilitatem ibi , ac beneuolentiam enaſci ; aut ſi qui exercitus , & agmina , ea gratiarum , & amorum congregari . Atqui ſtudioſum omnino hunc Pacis animum tuum ; nec inſolentiæ , aut peruicaciæ , ſed beneficio , & amori natum factumq. nemo non fateatur : quiſquis incredibilem illam comitatem Tuam , omniq. exemplo , laudeq. maiorem mitiſsimi alloquij Serenitatem nullo Principalis Fortunæ detrimento blandam , ſuauemq. experitur . O nectareas plane catenas , & dulcia vincula humanitatis ! O labyrintheas demerendi artes ! quibus deuinctos , excantatos , attonitos plenè implicas , capis , abducis quicumque Te adeunt : atq. inauditæ ſtupore lenitatis hærentes , dum diſcedunt , adhuc retines . Quàm hilari vultu , quàm obuia familiaritate , quàm facili , & facundo ore inuitas , & allicis ! quàm læto , quàm vario conſerendi ſermonis paratu ad miraculum penè inſtructus moraris , & oblectas ! Quod enim eſt vſpiam (per Tuum hunc amabiliſsimum iuro Genium) trahendi aut argutè , aut ſcienter , aut operosè colloquij genus , in quo ſubactus , ac diligens ; neq. pro Tua hac ſublimi regnandi ſorte , ſed pro eruditi atq. ocioſi profeſsione non verſeris ? Populorum mores , terrarum ſpatia , vires Principum , aularum conſilia , priuatorum curas , acta temporum , orbis euenta ,

naturæ ,

naturæ, Cæliq. arcana complecteris, loqueris, dijudicas. Hæc enim quoque pulcherrima ornamenta ad mitissimum illud Tuum Pacis ingenium commendandum accedunt, quòd in aulę splendore, ac maiestate, rerumq. gerendarum tam multiplici serie rimandis potissimùm philosophiæ latebris furtiua ocij spatia nobili studio interiungis. O illa Palatinæ domus (qua pulchriorem fortè vllam aut Italia, aut Europa non videt) planè digna fastigia, quæ attento oculo, & sedulo pede lustrentur. non quia superbo structuræ ingenio, magnifica ac perenni exstantium lapidum crusta, diffusis atque elatis spatijs, virenti nitore, irriguis delicijs, custode arce, mollique tandem imposita cliuo subiectam vrbem supereemineant. Sed hoc equidem præminent Augusta, & laureata; quòd philosophantium, geometrarumque gressibus dum quotidie teruntur, in Musarum gynecea, aut Musæa potius sapientum virorum, in experimentorum theatra, in naturæ officinam sub examen vocatæ, in rationis sensusq. vnà congredientium arenam demigrarunt. O verè sacra Phœbi domus! vbi Sol Etruscus Serenissimis cingitur fratribus; quos non tàm imperij adiutores, quàm excellentium omnium artium, quibus vel mansueta, vel ferox se se Pallas commendat, egregios patronos, ac vindices, & appellare, & adgnoscere non nisi ingrata ætas respuerit. Macte hoc animo Ferdinande: qui è Maioribus Tuis Laurentios Magnificos, Leones Sanctissimos, & Maximos haud degeneri imitatione aut reducens, aut vincens, artes tam præclaras, ac Principe oppidò dignas ingenio complecteris, gnaritate inspicis, cura promoues, auctoritate intendis, beneficentia, manuq. aurea confirmas. Vt beatam

hanc eſſe Rempublicam nemo iam dubitet, quæ ex Platonis monito talem philoſophantem regnatorem ſortita fuerit. Ampliſsimis proinde, feliciſsimisq. natura eadem Te donis inſtruxit; ſuis quaſi gaudens venabulis à Te capi, & indagari. Hinc etenim illa Tua mens altiori quodam heroico fœta ſpiritu, qualis rectorem populi decet. hinc acerrimum ingenium miranda celeritate efficax. hinc iudicium conſideratiſsimum, cuncta tam vigilanter, tam accuratè conijciens. hinc memoris facultatis præſentiſsima laus, quiduis tenere, complecti, reuocare indeſinenter paratæ. Quæ ſingula propenſi in Te Cæli, naturæq. dona diuturno vſu, atq. agitatione perficiens; dum per bina amplius Vicennalia ad onus imperij, reiq. publicæ curam intendis, ita exercitatiſsimam prudentiam Tuam adprobaſti ſemper; vt ſiue arduis difficultatem excutere, periculoſis ſolicitudinem demere confuſis perplexitatem euoluere, dubijs lucem, leuamen aſperis, incertis normam, ſolutis legem admouere oportuerit, nemo Te Ferdinande inter Cõſentes Tuos, aut perſpicacia ſolertior, aut grauitate conſtantior, aut conſilio maturior, aut prouiſu ſapientior, aut exitu atq. euentu ipſo felicior extiterit. Quas quidem eminentiſsimas virtutum laudes domi natas, atque altas; per ſeminis Auguſti traducem, paterniq. exempli fibram in Filio Coſmo lætiſsimè prouenire, & adoleſcere; quàm hilares, quám amantes, ac de magnarum rerum ſpe ſecuti intuemur! Cui Filio quem theſaurum, quas opes, aut potentiam, quodue dominationis faſtigium illuſtrius adornare poteras, quàm hæc ipſa laudum Tuarum veſtigia, atq. exemplaria proponens? Sicuti nobis nihil maius profectò

fectò dare beneficium; aut de nostra fortuna amplius mereri poteras; quàm Iuuenem tanti nominis olim heredem, nunc virtutis, & gloriæ Tuæ imitatorem prospiciens. Nec Illi tandem, nec nobis; quàm si Regiam Puellam (hæc vna quippe solicitissima remordebat animos cura) tam digno Sponso auspicatissimè copulandam repereris.

Ad te nunc me conuerto, de Te semper infra dignitatem locuturus Cosme Princeps Serenissime. Ad Te Regnatricis Domus primum columen ac firmamentum: Etruriæ nostræ delicias, & Amorem: Italicæ maiestatis germen, floremq. lætissimum. Sed hoc tamen ipsum quia flores, Tibi forsitan vnum obest ingrato iuuentæ munere, atque iniurioso vernantium annorum rudimento. Quamquam crepundia ipsa Tua contemplanti mihi, ille statim blanditur excelsæ indolis radius, maximum in magna natis fortuna donum; quod vt gratuitò in illos influit, ita è Cælo rectà delabitur. Hæc est illa teneræ virtutis inaffectata lux ingentium animarum nutrix, quam nemo vnquam iniustè collaudauit. Hæc illa incipiens aura, quæ primo susurro extra portum inuitat grandiora nauigia, vt in altum mox cieat ad summa quæque prosperrimo cursu emetienda. Præiudicia sunt futuræ olim magnitudinis, quæ balbo ore concipiunt summis orti natalibus. Beati isti fortunæ pulli statim ab ouo, ne dum puerilibus è cauea tripudijs futuram portendunt amplitudinem. Sol diei princeps, ac luminum rector, etiam antè ortum officiosis vaporum humeris quandoque sustollitur orbi ostendendus. vt Solis eiusdem blandientem ex alto lucem implumes adhuc Aquilarum filij contemplari, ac sustinere gaudent.

dent. Hercules, ad cuius exemplar ſe componunt regnantes, infantili manu admotos in exitium angues exanimaſſe narratur. O Tuum, ac verè Tuum Coſme Princeps in magnæ fortunæ magna licentia, ne dicam peccandi impunitate, perque annorum inuitantium dulcedinem, paratos vndequaque colubros, atque horrenda monſtra vitiorum forti nixu comprimere. Quàm crebra interim, Deus bone, quàm iucunda regnantis adoleſcentiæ pericula, ſuoque ſæpiùs veneno indulgens in ea ætate poteſtas! O viridarium iſthoc amœniſsimum, quod fontibus ſcatet illecebrarum, rore mollitur ſecuritatis, imbribus madet voluptatum, ſuſurris mulcetur blanditiarum! quàm rari qui ad ſolidos virtutum fructus, plenamque ſapientiæ maturitatem perueniant. Verè hìc inſidioſi cubant angues inter florum delectamenta. Quòd ſi infanti illi Thebano truces nouerca immiſit, quibus necaretur ſerpentes: Tibi ne accederent, aut obeſſent vitia, Mater fecit Victoria, felix nomine, ſanctior exemplo. Debebas quippe domitricem illorum clauam non vt Hercules, è Tyrio nemore; ſed è Feltrio monte maternæ quercus felicem ſurculum decerpere: O auream plantam Ioue prorſus, & Saturnio ſæculo dignam! cuius vmbra pulchritudo eſt; cuius fructus tot illæ ſunt tantæque pectoris, oris, ingenij virtutes, quot quantaſue in fæminâ Principem congeſtas, vniuerſus fermè Orbis deprædicat, aliæ ætates raRò viderunt, futuræ vix credant, ſummo nos Dei munere cumulatiſsimè experimur. O vos Mediceæ Domus fortunati poſtes, quos tam beatæ frondis ſertum virens coronat. Sub hac tam inclyta Quercu matura virtutum nutrimenta, vitæque innocentis educationem collegiſti: Chri-
ſtianæ

ſtianæ potiſsimum diſciplinæ veneranda oracula (vt Dodonææ olim Quercus reddebant) plenè ritèque accepiſti.

De alijs narrent alij, quæ, & quanta libet cumque auditu magis ſpecioſa, dictuque magnifica. De Te quoque Coſme, cùm Deus olim (ò faxit) diutiſsimam mortalitatis ſtationem Tibi indulgebit, non deerunt, qui fortia, audacia, magnanima referant; vbi ætas, & occaſio campum tibi famæ proſternent ampliſsimum. Mihi verò abundè ſuppeteret, quòd innutritam bonis artibus adoleſcentiam tuam; Suadæ, & matheſeos ſtudijs perpolitum ingenium; quid geſſerint, quì loquantur, remotæ ſæculis, diſiunctæ regionibus gentes, edoctam linguam atq. animum cum laude nunc commemorarem. Sed vnum exoſculari placet, ac veneratione proſequi maximum adoleſcentis Principis ornamentum. quid adoleſcentis? quaſi puerile, & fœmineum. aut quid ornamentum? Imo præcellentiſſimam, ac triumphalem laudem, cui faſces ſuos cæteræ omnes ſubmittant: ſanctius virtutum ærarium quo è ſolo veræ opes, ac præſidia ad benè, diùque regnandum educuntur. Solidum pietatis ſtudium, mancipatumque Deo religioſisſimè cultum, hunc intelligo, hunc deprædico. Hæc eſt illa Tui magni pectoris inquilina virtus, omnium horarum fida, atque inculpata comes: hæc altum columen, atque inconcuſsi faſtigij: hæc fons inexhauſtus: hæc mater veneranda, plenique vteri, quæ tuis caſtimoniã verbis, cogitationibus ſanctitatem, moribus innocentiam fœcundiſsimè peperit, largiſsimè infudit, firmiſsimè ſtabiliuit. Hæc omni æuo felicem, potentem, inuictum Te faciet. Hæc Tuis amabilem, ciuibus carum, exteris ſuſpicien-

cien-

ciendum, regnantibus exemplum, ac penè dixi conuicium præſtabit. Scio etenim quæ pleriſque inſideat altè hærens in animo perſuaſio. meticuloſas fieri mentes, nimiùmque alligatas, gerendo fortiter, audendoque impares, quas præfractus hic, & ad normam exquiſitus Numinis cultus imbuerit. Priuatorum eſt (inquiunt) & humilium ſolicita hæc, & anxia Pietatis tutela. Securiori conſilio ſe vindicant reges; quibus eundum quò vocat, aut cupidinum voluptas, aut dominandi vſus, aut votorum licentia. Sed ſua ſibi reſorbeant malè hauſta præcepta prophani iſti, atq. vlceroſi aularum Polydamantes. Lutulentas illis, quas non moror, ſententias inſuſurret in aurem Ægeria Impietas, & Iupiter non Capitolinus, ſed Atheos. Aliter mihi ſuadet mens, naturæ dictat ratio, ſapientum conſenſus, proborum auctoritas. Primum ſit regnandi elementum metus Domini. Nunquam ſcilicet aut generoſiùs, aut fortiùs metuimus: indigni quos vllus nos amet, aut metuat, niſi ita metuamus. Eodem Diuino Numine vitas mortalium inuiſi ſubinde horreamus; cuius vltorem gladium nemo vnquam nocens effugit; aut remunerantis manum nemo iuſtus iniuſtam agnouit. Non ſubornari illud gratia, non fraude circumſcribi, non ambitu aut potentia hominum permoueri. Quoties ei libuerit, faſces ac ſceptra flammantibus ſarmenta vrbibus tradi. Purpuras, & chlamydes quaſi ludibria, aut pilas irruentium ferarum exponi. Solia, & curules in feralia pegmata, & ſuggeſtus carnifice terendos recudi. Feciſſe illud cuncta; cunctis præſidere quæ fecit; etiam minimarum rerum curam gerere; ſuauiſsimo vniuerſa imperio moderari. Sed hominem

præci-

præcipuè cariſsimum ſibi animal mente donatum diuinitatis particula, ad immortalis æui fruitionem erigere, gratioſiſsimis legibus, ac præſidijs inſtructum, quæ violare, & contemnere, nefas, ac piaculum ſit. O illi parum ſani, ſi quibus perſuaſum eſt, aliud pietatem, aliud dictare naturam: alia ſemita potentiam, alia conſcium recti animum incedere. Liquamine, ſi ita placet, ex hara Epicureorum deſumpto, ſuum inungant regem, quicumque velint. Egregium, Hercules, populi cenſorem, moriſque, & virtutis magiſtrum in aureo iuſtitiæ ſolio collocabunt. Me autem non fugit Francorum Reges, certiſsima nempè perfectæ dominationis exempla oleo cælitùs demiſſo inaugurari antiqua religione conſueuiſſe. Neque coruorum, aut vulturum roſtris; ſed puriſsimæ columbæ alis ſubuectum chriſmatis vas deſcendiſſe, quo olim inungebantur: inſigni documento, quemadmodum, & Cælum, & innocentia maximè Principes faciat. Quos non dubitet iam vllus tamquam ſimplicitate delibutos improborum, ac verſipellium conſilijs opportunos. Nemo enim acriùs deprehendit, aut immitius vindicat quàm qui maximè extra labem reperitur: vt nebulam ac fumum ij potiſsimum vident, qui illinc longiùs recedunt. Ac vitijs nemo itidem formidoloſior inſtitit, vel tardior pepercit, quàm qui ſuſpicione abſoluitur, ne ſua cauſa ignouiſſe videatur. Num verò tandem lentus, ac ſocors in turbatores ac nefarios non vigilabit ille, cui nihil tam cordi eſt quàm inuiolata ſempiterni legum auctoris maieſtas? Non ferox, non impiger audebit ille, cui vires commodat, atq. animos facit fortitudinum Deus? Non arma in perduelles mouebit intrepidus, ac vindice

ictu ſceleratos proſternet, cui fœderatum terris æther, ſtipendia ſyderum colligit? Inter ſerenos fluentium rerum ſucceſſus, obſecundantis fortunæ inſidijs latus aperiet, potentia ſæuus, luxu marcens, voluptatibus fractus: aut inter aduerſas irruentium calamitatum procellas periculis cedet, metu corruet, dolore intabeſcet, qui vnico incontaminatæ conſcientiæ fultus munimine, perinde habet quæ auctore Deo, aut recedunt, aut veniunt? Non Iuſtitiæ promendæ ſanctiſsimum opus, nullo ſtudio, aut arte violandum: non publicæ ſalutis ſeruandæ ſupremam, atq. inuiolabilem legem: non pacis, honeſtatis, amoris beatisſimam inter ſuos coniunctionem, perdius ac pernox curabit ille, qui ab ore ſapientis didicerit, talem ſe eſſe oportere ciuibus, qualē ſibi Deum fore concupiſcat? Sed longiùs fortaſſe (iam video) in hunc orationis anfractum fallente ſenſim veſtigio me prouexi: Tu verò Coſme Princeps in hac pietatis laude profuſus etiam, ac multus. Neq. aliunde enim illa charitatis affectio, qua prodeſſe cunctis, ac benefacere ſtudes: qua ſaluam cuiq. dignitatem, ac nomen exoptas: qua calamitoſos, ac triſti neceſsitate colliſos, aut voluntaria innocentioris vitæ paupertate deiectos, non miſerari tantùm, ſed fouere, ac ſubleuare conſueuiſti. Nec exacta illa verecundia, & obſequium in maiores Tuos; nec pudor, ac modeſtia cum omnibus, qui circa, vel infra Te, niſi ab eodem pietatis fonte dimanant. Cui tandem pietati vltimum honoris complementum defert Tua illa conſtanter impenſa Sacris veneratio, ſacrorumq. cuſtodibus reuerentia ac (ſi quid eximiè aliud) de animi candore, quem nulla culparum

rum

rum labes coinquinet, attentiſsima cura, ac ſolicitudo. Non eſt itaque cur admirer nunc illam frontis dignitatem, maturæq. grauitatis lucem, quam vbique circumfers; radium ſcilicet, quem internus ille purioris animi candor depingit in vultu. Gemma hæc ponderoſæ honeſtatis nihil humile, aut reſolutum eiectans, vna eſt quæ coronatos vertices exornet, ac fulciat: Aut virtutum tribu decor hic eſt mouendus, & in Cerites ineptiarum tabulas amandandus: aut ſi quibus mortalium conuenit, verè dignum Principibus ornamentum, certumq. illorum eſſe peculium nunquam non cenſui. Atqui nota hæc maieſtatis ſupercilio inſcripta ſuauiter, pulchritudoque auctoritatis in tota facie, corpore, geſtu viriliter conſtans, fidem quoque facere ſolet, pretiumque ſapientiæ ante annos velocis: quæ ſi in alijs præmatura habeatur; regnantium vitam hæc penitus ornat iucunda ſeueritas. Anticipato grauitatis officio cum bulla, & prætexta ſapere, ac ſenilem moribus ſpirare canitiem ne illos pigeat, quicumque non ſibi, ſed alijs viuendo, vnum annum pro tam multis numerant, quot illi ſunt, ad quorum felicitatem, ac ſalutem excubare, commiſſæ ſibi poteſtatis vti optima maxima lege tenentur. Errat quisquis annaria lege Principum vitam aut metatur, aut æſtimat. Præcoci gloria matureſcunt illis virtutum fructus in flore. Conſeneſcunt ante diem; ne vllis vnquàm ſæculis eorum fama veteraſcat. Sed & publici amoris pulcherrimo interim fœnore eorumdem vita penſatur: quoties Deum precamur, de noſtris vt illi annis refundat annos. Sapientia Principum nutrix ante omnes montes, & abyſſos genita, quamlibet teneras illorum frontes canis inſpergit conſilijs: quoniam & illius

 vbera

vbera cogitationum rugas cum primo lacte perſtillant. Verè enim ſi curarum molem, atque officij pondus expendant, quod imperando ſubeunt; tunc demum ſuo erunt digni munere, ac nomine, cùm ſeria non ſero tempore agitabunt. Haud aliter ille in ſcena ludio, Achiuorum Regem, vt oſtenderet magnum, cogitabundum effinxit.

Ad ſenij mentionem, inuiſum planè inter nuptias nomen, ne amabilem vultum Regia obnubiles Virgo. De virtutis ſenio loquimur, non de annis: quos florentiſsimos in Sponſo cernis, virenti corporis robore, nec vulgariter decoræ pulchritudinis maieſtate aſſurgentes. Frontem vides nigris ſpectandam oculis, nigram, ac pinguem Cæſariem, qualem tua præſcribit Gallia profusè depexam. Artus vides toroſos tenaci virium lentore compactos: proceræ molem ſtaturæ firmiter ſuperſtantem: faciem denique vides, atque habitum totum, illo dignum imperio, quod in receſſu nuper animi contemplabamur. Fidus pudicitiæ ſequeſter permiſſos tecum amores Tibi vni ſeruauit: delibata non dum oſcula Tibi imprimet: Te amplexibus nemini datis inuadet. Neque verò ſeria illum meditantem extimueris. Hæc amantium natura eſt, quos clauo cogitationum defixos tenet Amor in eam, quam depereunt. Ac de Te forſitan ille cogitabat: de Te inquam potiunda ſolicitus, quam tot regibus dignam procis, procorumque vota omnium altiſsimis ſupergredientem titulis ambijſſet.

Quid enim paterni, materniue ſanguinis inclyta, auguſta, immortali ſtirpe generoſius? Aut quid maieſtatis, ac ſortis ampliſsimo per orbem illuſtramento ſplendidius? Vel quid tandem congeſtis naturæ

dotibus;

dotibus; atque in omnia cùm animi, tum corporis bona prolixè conſpirantis, patrimonio beatius Tua illi tradere poterat Gallia, quàm Te Aurelianenſem Margaritam tradendo? Te verò dein tradita: quid vel Etruſco Principi, quod magis, expeteret; vel eidem Galliæ, quo ſuperbiret magis, niſi Tui ſimillimas retinendo, ſupererat? Suum quondam iactauit illa Herculem, aut regem, aut ſapientiæ magiſtrum. Digna equidem natio, quæ Hercules omni tempore aut gignat, aut faciat. Quòd ſi Iunonem Gallicam fando memorari adhuc non audiuimus: ego Te hodie Regiam Sponſam tam digna, tamq. apta nominis maieſtate contemplari, & oſtendere minùs dubito. Sed Hercules ille (qualem vetuſtas depinxit) recaluaſter ac ſenex erat, rugoſa ac lurida cute peruſtus; denſa pectoris, & alarum illuuie deformis. Te in primo nubilis adoleſcentiæ riſu venuſtam, comptiſsimis delicioſam capillis, atq. amabili genarum fulgore conſpicuam Etruria demiratur. Ille toruos oculos rigenti ſuperciliorum ſcabritie inumbratos, lentus, & obliquus mouens. Tu ſplendentes ac floridos, quaqua verſum in communem lætitiam vigiles decentiſsima ſerenitate circumfers. Ille ſetoſis humeris leoninas geſtans exuuias: pendulo atq. hianti belluæ capite, quod dentes horrificant etiam truces, ac metuendi poſt mortem; nec minus cruenta iubarum infuſcat putredo. Tu nuptiali cultu formoſa, ſyrma trahis eximio auri, gemmarumq. nitore ditiſsimum, blanditiem vbiq. pariens, & gaudium: nec terrore, ſed gratia maieſtatem quacumq. ſeris, ac vindicas. Aſperis ille manibus clauam hinc nodoſam perſtringit mactatis fœtidam monſtris: il-

linc

linc ſagittas ferarum ſanguine non dum ſiccatas protendit. Speculum Tibi, puellare ſcilicet anathema tenera in manu deponerem; ſi quid vel eius conſilio Tibi pulchrius in vultu, ſi quid fieri poſſet cenſura emendatius. Sceptrum regiæ ſortis geſtamen planè deceret; niſi ſcirem apud Te plus in animi virtutib. quàm in dextræ officio eminere. Ergo manui Tuæ fidiſsimam Sponſi manum inſeramus: quæ Tibi pro ſpeculo, pro ſceptro, pro æternitate contingat. Quòd ſi de illo Heroe Celtico narrant, innumeros ab eo mortalium cœtus prædabunda quadam, atq. efficaci vi quacumq. vellet, fuiſſe pertractos; hoc Tu equidem Tuo non diſpar Herculi, æmularis illum, aut vincis. Tu enim corda ſequacia: irretitas ille aures trahebat. Habenulis ille ex auro, atq. electro: Tu adamantinis, quas publicus fecit amor catenis, vt omnium fortiſsimis, ita beatiſsimis vinculis ligas. Promiſcuas ille atq. inconditas turbas. Tu orbis proceres, ac lumina gentium captiua ad Te vocas. Lingua ille in ſummo traiecta, vnde nexiles emicabant voces ad præſentium, audientiumq. rapinam: Tu ſiue taces, ſiue loqueris, non lingua tantùm aut ſermone: ſed oculis, vultu, nutu ſtudia in te omnium, venerationemq. circumagis. Neq. modò eos, quos Tua hæc nihil referens morituri afflat præſentia, conuertis ac permoues: ſed remotos longè ac diſiunctos, qua laudum tuarum ampliſsimè honor vagatur, aut inclytæ, inuictæ, æternæ Tuæ Domus (vbicumq. ſol currit ac dies nitet, in vltimos fugientium terrarum defectus, abditoſq. recedentis Oceani ſinus) fama nomenq. infinitè diffunditur. Atqui hæc vna maieſtas Gallici nominis, Tuoq.

tam

tam excelſo ſanguini copulanda fortuna (ſi quid aliud) procantem Etruriam pertraxit. Arcana quippe dominationum conſilia, quæ turbam fugiunt, coniuges ſceptro potentes in maritæ fidei ſacramenta ſanctioribus vinculis ligant. Non illos perituræ pulcritudinis fulgor, aut gratiæ decor ſeneſcens, hoc eſt Volgiuagæ Veneris ceſtus; ſed Cæleſtis, atque Heroicæ cingulum ad voluptates implicat auguſtiores.

O qualia mihi nunc dicendi ſpatia ſe ſe traderent, quantuſue emetiendus laudum pelagus foret: ſi in antiquiſsima Gallorum regna, clariſsimas Prouincias, fortiſsimam gentem, populos omni æuo Florentiſsimos, memorem, paremq. iactare ſermonem ſuaderet ſpes atq. animus, vel ſuſcepti demum operis ratio flagitaret! Compendium ſit narrationis Celtas appellare: & ſumma laudationum Galliam dixiſſe. Illam, quam quo nomine perhibeam, Europæ ne pupillam, an Orbis animam, vel rebus geſtis immortalibus ſelectam Cæli portionem in terris, prorſus ignoro. Quid refert nunc priſcos illos fabulis immixtos Gallorum Semones, atq. Heroas recenſere, vt inuictæ nationis bellicum omni tempore ſtudium, Imperijq. militaris claritudinem ſuis è fontibus retegamus? Si Romana tempora inſpicimus vigente dudum magnis exemplis Vrbe, ac Rep. adeò nominis Gallici terror vrgebat: vt cùm Martius ille populus ad propagandos alioquin Imperij terminos, gloriæq. dilatanda pomœria vitricibus ſignis conuolaret; quoties Gallica concrepuiſſent bella, pro aris ac focis tutandis, pro ſalute, fortunis, liberis ſeruandis, permiſſa nemini militiæ venia, ſe ſe pugnare ſuis incluſus finibus profitèretur. Hinc, & Aſiæ, & Orientis

Regibus

Regibus Gallica arma expetita, ſummoque ſtudio, ingentique mercede ad partes adducta: quaſi eorum acceſsione certum victoriæ momentum incuteretur; ac triumphus illinc facilè ſtaret, vbi Celtarum manus non defuiſſent. Quorum proinde pectora mortis quidem capacia, ſed mortem pauere inſolentia, nullis natura edomare periculis, atque in ordinem cogere poterat: quibus maximè mortales, ad æſtuantis Oceani voragines, ſubsidentis terræ tremores, dehiſcentium Cælorum fremitus atque ignes concuti, ac percelli ſolent. Quamquam illud vnum horrebant tamen, ignominiæ maculam, ac dedecus in bello, fugam (quàm qui maximè) in eo cauentes, ac fugitantes, cuius ne comperti aut ſuſpecti turpiſsimam ſibi notam imprimerent; vel pedem illinc referre abnuebant, vbi ſtantes, certa illos ædium, turrium, aggerum ruina, ſtrageſque manſiſſet. Ex hac intrepidi animi toruitate conſtans illa in acie firmitas, ſemelque addictæ fidei erga duces, ac rectores peruicaciſsimus tenor; quam domi quoque, atque inter ſuos indeprauatam, penituſque infragilem retinebāt. Celebre in litteris perdurat adhuc nomen Solduriorũ, deuotum apud Gallos genus hominum, qui Procerum alicui ſe mancipantes, in omni ſorte, per ſecunda, per turbida pertinaci obſequio patronum comitabantur; nunquam ſe ſaluis ſacramentum fidei, aut clientelæ exuentes. Quòd ſi fato is conceſsiſſet, glorioſum quoque iſti ſponte ſubibant interitum: condignum eo pacto addictæ obſeruantiæ penſum ſe abſoluere opinantes, quoniam ille mortalitatis iam peregiſſet. Didicerant, didicerant à ſuis ſapientiæ magiſtris, quos memorato ſcriptoribus nomine Druidas appellarunt,
nihil

nihil fide religiosius, aut sanctius apud mortales habendum: oppetitam impauidè mortem clarissimum renascentis famæ diluculum fore: patrijs moribus obtẽperandum, quos fortitudo, ac virtus imperasset. Hos etenim Druidas antiqua venerabatur Gallia tamquam doctrinæ duces, sacrorum magistros, publicæq. felicitatis monitores. Ab his, & Gallia, & exteræ gentes Galliam impenso studio adeuntes, religionem, cultum, litteras, rerum diuinarum, humanarumque notionem percipiebant. Vt sicuti armis, & audacia cæteras omnes facilè vincebat vel clarissimas bello Prouincias; ita institutionis, ac disciplinæ gloria, neque suos Orienti magos, ac Gymnosophistas, nec Græciæ Sapientes Gallia inuideret. Atque his artibus cœpit, stetit olim; crescit quotidie, ac peruagatur illustrius Gallicum nomen. Ex hoc pulcherrimo connubio: hinc militaris virtutis, qua hostes vincere, populosque longè latèque in ditionem redigere: hinc doctrinæ, ac sapientiæ, qua ciues regere, & ad honestatis, pacisque leges informare didicit; immortalis illa apud posteros fama, admirandumque potentiæ pignus enatum est, longa deinceps, feliciqúe regum suorum dominatione contextum; quantam equidem aut duratione, aut amplitudine, aut firmo neminiq. obnoxio regendi arbitrio nullæ gentes aliæ, vel condendis imperijs, vel retinendis gloriosæ, concupiscere, & adspirare, ne dum ostendere queant. Sed ferè ita comparatum est, vt non alio vtantur foro, & possidendi sceptra vsus, & demerendi iustitia. Vt larga messis commendat agricolam, & loci salubritatem longa indigenarum ætas demonstrat: ita populorum custodibus, publicæque incolumitatis ducibus vna,

eaque ſumma laus adhæret, diù, ac fortunatè præfuiſse.

Arduum mihi, atque operoſum nimis foret longam eorum omnium nomenclaturam euoluere (vt famæ erit ſemper res geſtas proferre) qui poſt excuſſum quondam Romanæ poteſtatis iugum, regij nominis titulo Gallijs ad hoc vſq. æuum imperitarunt. Tot namque numerantur, quot natura annos impertire nobis non ſolet, quin laſsi, ac longo curſu penè fatiſcentes, ad vltimum vitæ flexum iam iam promineamus. Cùm tamen Gallici imperij nunquam conſeneſcens maieſtas, illuſtrioribus maximarum rerum exemplis, amplioribus fortunæ, ac felicitatis præſidijs, firmioribus potentiæ, ac dignitatis culminibus quotidie iuueneſcat ad gloriam. Vnus verò è tam multis, non Gallici tantùm diadematis fulgore me trahit; ſed Cælitus tracto virtutum ſanctiſsimarum lumine ad inuſitatæ admirationis obſequium, & animum, & linguam meam penitùs rapit. Poſt quadraginta plus minus reges auguſta Faſtorum ratio illum conſcribat. Ego meritorum amplitudine, ac virtutum excellentia, cui nullam parem, aut proximam humana nouit fingere ambitio, primum, ſummumque libentiùs adnumero. Non indiges (ſcio Ludouice) inanibus hiſce noſtris laudum ſertis, quem in Diuos tranſcriptum pleno ambitu ſydera in Cælis coronant. Gallis Te vixiſſe regem humanæ magnitudinis maxima pars habeatur; maius tamen multò, Sempiternæ Hieruſalem Te eſse tribulem. Quia bellicoſus, & pugnax, & præliorum cupidus, Gallis placuiſti: ſed magis Deo, in cuius honorem, ſacroſanctæque fidei tutelam pias vires expedijſti. O nobiles

biles curas, & dignos regum ſtudio conatus! Non arma in vltionis, atque odij experimenta componere; ſed Diuini ingenus humanũ Amoris paciferæ propugnandæ legi commodare. Neque perituram in terris portionem bello promouere, aut partiri; ſed immortalem cæleſtis hæreditatis ſortem legitimè certando emercari. Quòd ſi quæ tamen Ludouice de humanis hiſce lætitia Te afficit: aut vllus rerum noſtrarum ſenſus beata Cælitum corda permulcet: gaudes, opinor, ortam ex Te Gentem Borboniam in tam ſublimi potentiæ, atque honoris ſpecula ſuſpicienti Orbi explendeſcere; dignaſque Te Parente, & Satore virtutum heroicarũ fruges noui inſtar Triptolemi è curru triumphalis gloriæ vſquequaque diffundere. Ignoſce mihi Sereniſsima, & Auguſtiſsima Gens; ſi altiùs inueſtigare, ac repetere vetuſtiſsimi Tui Sanguinis ſcatebram ſuperſedeo. Satis videbar feciſſe, ſi è Cælis, ſanctiſsimo videlicet Ludouici gremio deducerem: in cuius filium Rupertum recto ſtemmate, longoque ordine inuictam originem, ac veluti conſecratam Borbonij refertis. O vnica, ac glorioſiſsima fundandæ ſtirpis auſpicia, nobilitandæque inſtrumenta, & ad ſeram, certamque dominationem tranſmittendæ præſidia; faſces illi, caputque coronatum pio corde ſubmiſiſſe, per quem reges regnant, ac tyranni terram tenent.

Eximiam altæ natiuitatis ſortem Quirites iactent, quia crebris viſendas imaginibus atriorum ceras imaginoſa prorſus nobilitate circumferant. Genitiuam honeſti ſanguinis notam Seleucidæ oſtentent inſculptam femori anchoram: aut lanceam brachio ingenitam alij commoſtrent. Hoc ſignum, hæc fides Borboniæ propaginis; hæc geniuna ampliſsimæ in terris Familiæ teſ-

ſera, ac ſpecimen, Crucẽ in pectore, in brachio, in corde geſsiſſe, atque adorandam illius imaginem præeunte Ludouico in barbaros circumtuliſſe. Partam igitur tanto progenitore amplitudinem meritò nunc poſsidetis Borbonij poſteri; atque ideò tam altam, tam firmam, tam orbi verendam, quoniam à Cæleſti fauore, Diuinique Numinis cultu incœpiſtis. Hinc fuſa per tot Galliarum Prouincias, tot Principatuum faſces, tot regnorum commercia, & quod maius eſt, tot grandes Heroum animas Propago Veſtra: donec coniuratis gloriæ, ac virtutum incrementis, fortunæque ac felicitatis beato quodam impetu prouecta, in communem potentiæ curſum, hinc Nauarræ, hinc Franciæ Regnum copulauerit. Vt enim Macedonia ſuum olim nõ capiebat Magnũ; ita anguſtis Nauarræ finibus ampliſsimũ Franciæ Regnum erat adiungendum, ne maiora agitandi Magno deeſſet Henrico poteſtas. Cui mox vtrumque ſuffeciſſe regnum non adeò viſum eſt, quin proſtrata rebellium perfidia, edomita ac protrita hoſtium ſuperbia, propagatis terminis, adiectis Prouincijs, auguſtiora, atque optimis legum, viriumque præſidijs feliciora Ludouico Iuſto paternæ claritatis heredi, atque æmulatori tradiderit. O pulcherrimum virtutum fœdus, & auream prorſus ſocietatem, ac veluti maiorum ſyderum coniunctionem, Magni, atque Iuſti! O Gallijs glorioſa, Reip. ſalutaria, Orbi optabilia, Regibus ſummè expetenda cognomina! O prolem beatam digniſsimi parentis, Iuſtum ex Magno! quis iam non diſcat eam demum probari Magnitudinis fœcunditatem, quæ pleno Iuſtitiæ conceptu ſit grauidata? atque hoc ipſo Magni nomen creſcere in terris,

ris, quoniam in Iuſtum ſoboleſcit? Sed Magnum eſſe, cæco fati præmio ſola pleriſque dedit natalium præſtantia: cùm niſi ex rectiſsimis operibus iuſtum fieri non contingat. Hoc equidem Iuſti cognomento Henricum viciſti Patrem Ludouice; par cætera, imitator, ſucceſſor. qui Galliarum itidem patrimonium generoſiſsimæ Tuæ virtutis ſtupendis facinoribus, mittendiſque in omnem poſteritatem triumphis, magis auctum, ornatum, fortunatum ſimillimo Tui Filio reddidiſti. Qua verò nunc prædicatione Te cōpellabo Ludouice, qui humani generis futurus diu deliciosiſsimus comes, Galliæ nunc es, atque eris longum bonum, ſempiterna felicitas? Excerptis iam pridem, ac veluti defloratis nominibus, quibus Gallorum Reges fama inſigniuit: non qua corporum ſpeciem Comati, Pulchri, Proceri titulo; ſed qua animos Pij, Magni, Iuſti, cæteriſque inclytis laudibus exornauit; quid Tibi cognominis ſepoſuerit, haud ſatis internoſco. Niſi quæ Auus, atque Pater occuparunt ampliſsima, tamquam Paternæ, Auitæque gloriæ cretione, vtrumque Te, & Magnum, & Iuſtum appellemus. Sed minuta fortaſſe ſunt hæc, & veluti ancillantia nomina eximio cuidam alteri, ac raro, quod Cælo nuncupatore induiſti. Planè equidem in iſto Tuo Ludouicorum quarto ſupra decimum numero, veluti critico ac potenti, inſigne neſcio quod felicitatis primordium, arcanumque, & inuſitatum altioris fortunæ argumentum fore excitandum præſagibat animus. En DEODATVS quaſi indigo Orbi, ac generi humano aduenisti. Tolle nunc animos ſuperbitura meritò Gallia; tantoque munere Cælitus dato quàm diutiſsimè perfruere.

Non

Non nisi Datum Optimum, non nisi Donum Perfectum à Patre Luminum descendere posse consecrata veritas est. Neque Tu Ludouice, nisi similes è Cælo laudes, cognatasque virtutes ad nos deferre potuisti. Quemadmodum igitur Cælum perpetuo circumactum orbe non lassatur, aut deficit; sed agitatione, ac motu perennat; ita quoque mens Tua Egregij publici cultrix asidua, iugi labore integratur, ac viget: dum præest, ac interest omnibus, dum omnium, ac singulorum satagit, nihil improuisum, incogitatum nihil præteruehitur; & ad innumeras fermè tam excitati, tam viuidi, tam actuosi Regni curas, non auspicijs tantùm aut numine, sed interuentu, atque opera sufficit. Rarum penitus, atque inusitatum est Ludouice in isthoc tuo blandissimo annorum flore tantam regnatricis prudentiæ maturitatem edere: atque in ipso statim rerum gerendarum tyrocinio, veteranum adeò consilium, atque experimentum ad publicos actus capaci pectore circumferre. Magna imperia magnis indigere adiutoribus quis iam nobis seuerus sapientiæ magister decantet? Vna optimi Principis virtus, publica veluti anima, ac spiritus quacumq. diffusus: vna illa Tui mens Ludouice vastum imperium satis fortunat, atq. implet. Te vno conspecto se reficit Gallia, acerbæque iacturæ (ac nunquam non tamen deplorandæ) castigat lacrymas, sensumq. obtundit doloris, quem ingenti nuper amisso suæ amplitudinis custode, ac tutore conceperat. Quòd periuros autem, ac rebelles contumaci seditionis capite perfidiæ virus ebullientes, terrore partim dissipaueris, partim clementia compescueris. Quòd socijs, tuamue clientelam professis salutaria arma imploran-

plorantibus præſenti ope ſuccurreris,creditumque Tuo nomini latus protexeris. Quòd hoſtium audacia depreſſa, eluſis conſilijs, attritis viribus, furore diruto, fines malè tutos deſerere, oppidis, agris, domibus excedere iuſſeris, nouaſque Imperio aſſertas gentes, atq. vrbes adiunxeris; militaris equidem gloriæ tuæ, animique prorſus inuicti, & ad Martium decus elaborati præclara ſunto, atque egregia paucisſimis æmulanda facinora. Tuæ dicantur pueritiæ rudimenta regnantis, caſtrenſes plauſus pro crepundijs, pro nænijs victorias, pro ludis habuiſſe triumphos: quorum proſperrimos ſucceſſus, nec viarum difficultatibus, nec itinerum longitudine, nec peregrini Cæli nouitate, aut iniurijs, nec morbi lethalis deſperata rabie conterritus, aut rumpere, aut flectere Te dignum Rege cenſuiſti.

Sed aliò Tua me vocat rarior, ac numeroſior præſtantia. Vires namque bello experiri, & cruenta inſultare potentia, regium fortaſſe eſt, aut ſaltim exiſtimatur. Armorum quoque detineri ſtudio, pugnandoque dulcem ſibi laborem, magnamque famam parare, antiqua laus, & Gallici populi, & Borboniæ Gentis habeatur. Ferocire demum, ac periclitari ea ætate, quæ baltheum, & caſsidem patitur, quæ ſudum atque vdum Cælum perinde æſtimat; neque nouum, neque inſolens integra quotidie admiratione intuemur. Quòd verò Tu Rex, Tu Gallus, Tu Iuuenis in tantam rerum ciuilium diſpenſationem incumbas. Quòd publicæ quietis, pacis, ſecuritatis fructus ſenili adeò conſilio promoueas. Quòd non de imperio nunc amplificando, ſed ampliſsimo ſtabiliendo, optimiſque legibus, ac moribus firmando re-

do recogites : Tua eſt Ludouice ſingularis , ne dicam inauditi exempli celebranda in omne ſæculum prouidentia . O auguſtiora tempora ! O dies in aurum, atque innocentiam recuſos ! ſi Iuſtitium crudelitatis , ſi languor audaciæ , ſi irarum Alcedonia , humanique cruoris feriæ , atque ocia Te regnatore decurrent. Niſi tamen hoc vno iracundus , & minax recrudeſcit ad bellum Tibi animus , cladem ac vaſtitatem meditans immaniſsimo Chriſtianæ libertatis hoſti : cuius arma ſicubi , aut aliàs diritate atque odio imbuta, laceſsitæ ad Iſtrum gentes iam iam ſub ictu experiuntur. Quòd ſi qua ope Tua Cretenſes nuper ambages Hotomanicum monſtrũ eluſerunt; maiori ſaxis nunc apparatu, Pannonijs vt è clauſtris , ac limite Dacico quàm longiſsimè depellatur. Vincant ripæ Danubij , & Carpathijs præſtent littoribus : ac niſi vultus Tui firmiſsimum adiumentum, Tuarum ſaltem legionum validiores longè ſuppetias intueantur. Illuc , illuc communia Te vocant pericula , ac nobilis triumphorum ſeges inuitat. In Te cum primis vnum conuerſa Europa reſpectat. Paterna cunctos hortatione , & cura erigit Vigilantiſsimus Euangelici fœderis Cuſtos in terris ; præmijque , & gloriæ tam egregium opus manſuræ quanta maxima ſanctitate , ac religione animat , accendit, impellit. Cæterum Tuis , & inter Tuos æqui bonique honorem illibatum tueri , paciſque emolumenta præbere , ac percipere, quanta conſultiſsimi incœpti laude , quàm læto ſucceſſu perſeueras ! Pridem hoſtes ; nunc dolum , temeritatem, proteruiam , cæteraque vrbium vitia profligas. Militum paulo ante ; nunc virtutũ facis dilectum. Nuper luſtrabas exercitum, teſſeram

dabas ,

dabas, agmen ducebas; nunc inſpicis tribunalia, fora exerces, iura cognoſcis. Ex Victore Pius, ex Forti Iuſtus, ex Formidabili, atque Vltore Pacificator, & Clemens. Et omnia ſimul, nullo alterutrius detrimento audis. Quis iam blando Tuo affatu non recreatur, non animo miſericordi erigitur, non manu adiutrice, ac beneficenti corde fouetur? Quis Te Principe viuere ſe, & ſpirabilem hanc lucem haurire, felicitatemque ineſſe mortalibus, Deumque, & Prouidentiam nobis immiſceri non ſentit? An vllus Te Quæſitore pauperum filios circumuenit, viduarum ſolitudinem premit, morientium voluntates eludit? Suos finibus limites, itineribus ſecuritatem, alimenta vrbibus, nauigationibus portum, mercimonijs frequentiam, operibus mercedem, laboribus pretium, diſciplinis cultum temerare quis audeat, dum Tu vindex, atque iudex interuenis? quis conſilia priuato ſtudio corrumpere, leges gratia violare, honores ambitu exculpere, ſuffragia precibus eblandiri, ſacram ſanctamque Dicen auro proſtituere, prauiſque tandem opinionibus (quantum nuper recreſcebant!) rectiſsimum pietatis vſum conuellere, dum Tu cenſor, inſpector, caſtigator incumbis? Dum Tu in iſta feruidæ ætatis vigilantia totum Te Reip. tradis, & occupas: neque per vicarias aures, aut ectypam (ita loquar) prouidentiam, ſed tuo ipſo oris typo, normaque præſentiæ omnia hominum, & quod magis eſt, negotiorum omnia admittis humaniter, tractas ſolicitè, feliciter conficis. Ac niſi perperam iudicat animus, Tuæ idemtidem æquitatis opus crediderim, quòd tam egregia Sponſa (cui pleniſsima laus eſt Te patruele cenſeri) Etruriam noſtram fortunaueris.

Maiora in terris facere nomina cùm nequiremus, geminas olim Galliæ Virgines nuptiali credito dederamus. Tu igitur in hoc quoque iustitiæ colendæ attentissimus reddere nuper voluisti. Et quidem (quod speramus, ac vouemus) cum ingenti heroum fœnore accepturi. Quàm concordi, & alterno cuncta librantur æquamento! Catharina olim Medicea antè annos amplius septuaginta Christinam neptim Lotharingio patre, genitrice prognatam Gallica, quasi debitum solutura obtulit. Maria deinceps & Tibi, & Sponsæ pariter auia, Margaritam Gallico genitore, Lotharingia parente, posthumum hodie repræsentans officium Te nunc expromissore, & parario restituit.

Agnoscit ergo Etruria inter maxima partæ à Te pacis ornamenta tam inclyti connubij veluti redditam fiduciam, præstitamque fortunam. Non poteras, imo nec debebas alia dare pignora tranquillitatis, nisi nuptiales hac illac spargendo nexus: quibus ipsis Maximum Tibi Regem concilians, exoptatam pacem Europæ, atque Orbi reduxisti. Agnouit Gallia fœcunda viris, vrbibus diues, beatioribus Cæli radijs circumfusa, tam alti beneficij emolumentum; atque aureum Tuæ sapientiæ opus gliscente quotidie felicitatis sensu declarat. Quicquid amœnis dulcescit illic, & coloratur in saltibus; quicquid innascitur glebis, aut pascuis nutritur; quicquid cauernosis terræ demitur latebris, sub manu creuisse colonus, & fossor, & pastor fateantur. Neque ad longos anni vsus, Galliæque saturitatem dumtaxat toto diuitiarùm Cornu se se Copia diffuderit: sed superuacuas opes in orbem licitatorem, vt aliàs omni tempore, ita nunc quàm exube-

exuberantissime diuiserit. Nec minus fabrorum labor, quales quantosque nutrit Gallia (ne quibus naturæ vberibus artifices illic manus concedant) peregrinas industrias, atque exquisita operum ingenia, quacumq. in alienas partes necessitati, delicijsue mortalium, vt vnquam maxime dederit. In tantis tamen gaudiorum triumphis, beatæque reductæ pacis argumentis, parùm sibi ingenitæ vbertatis compos, nouæque felicitatis conscia videbatur; nisi rariores atq. incomparabiles merces effunderet; nisi Heroinas diuideret; Etruriæ verò Margaritam daret, qualem nec pretio augustiorē Ægyptius vmquam luxus dissoluit ad mensam, nec læta significatione optabiliorem vlla Scytharum religio notandis feliciter diebus recondidit. Etrusca Prouincia nullius alioquin indiga rei, quam vel cultor legat industrius, vel solum spatiosè lætum indulgeat; hanc vnam tamen pulcherrimam, ac necessariam mercem expetijt. Hac vna Liburnicus Portus, cæteroquin Italiæ ditissimus, vbi primùm vidit aduectam, carere se non posse cognouit. Ne suas opes, suasque gazas beatissimus Indiæ oris Tyrrhenum littus inuideret, hanc sibi importari, atque inseri Margaritam optauit. Quam equidem naturæne admirandum opus, an speciosius artis complementum appellem, ancipiti cogitatione diducor. Pulchritudinem natura dedit, ac venustatem, decusque lectissimum; candidam, si quid aliud, genarum lucem adspersit, præcipuam videlicet Margaritarum dotem, sed & gemmeam purioris animi notam pellucidis se se lineamentis ori inscribentem. Mirata nuper Etruria, exteræque Nationes miratæ sunt certatim huc confluentes, cùm primùm fortunatissimo

 ingressu

ingreſſu Florentinam Vrbem ſubiret. Quàm inuſitata pompa, quàm nouo excipiendi apparatu illa venit! Gaudij certè impetus fuit, qui portam ſæculo, ac decennio cluſam aperuit; obductumque propugnaculi aggeſtum, quo tamdiù veluti obſeſſa latebat, diſiecit, egeſsit, coæquauit. Nempè quos impendentium bellorum metus fecerat vallos, ſecuritatis Obſidi, paciſque, & amoris Conciliatrici, non niſi ſtrage, ac ruina ſua litare oportebat. Haud aliter olim in ſacris Græciæ certaminibus renunciati victores: non quà cæteris pateſcit aditus, ſed ſtratis mœnibus reduces in patriam excipiebantur. Quippe nullius indigam munimenti eam vrbem cenſebant, quæ tantos in ſinu ciues complecteretur. Quis autem vel durato ceſpite, & congeſta maceria, vel ſtructili opere, & anguloſo muro immolitas portas propugnandæ Florentinæ Vrbi expetierit: quam tanti nominis Sponſa, veluti Mater (vti ſperamus) Semideorum turrita ingrederetur? Niſi tamen Equi inſtar Duratei, grauidam noſtro ſaltem vrgente deſiderio aluum, Heroumque plenam per murorum hiantium lapſus vt inferret, omninò fas videbatur. Quæ tunc verò celebritas, quæ lætitiarum panegyris, cùm Penates noſtri quaſi in occurſum exirent; atque vrbs extra vrbem arcubus, ac theatris procederet! Qui fauor circumfuſus exercituum hinc inde fauſto rumore, & obiecto latere aditum, plauſumque facientium! quæ palam, atque amanter officioſa votorum certamina iucundis ſuſpirijs, lacrymiſque concepta, cùm in ipſo vrbis limine ad Sempiterni Regum Regis puluinar coronanda ſiſteretur! Quàm diuite, quàm pia, quàm ſolenni tunc Religione! Qualis præeũtium turmarum dedu-

deductio, vel antecedentium equo procerum longo ordine comitatus! Aut quæ pediſequorum examina verſicolori cultu nitentia, compoſitis veſtium notata claſsibus, ſplendido textilis, ſutilis, penſilis auri detrimento ſuperba! Spectaculo, ac voluptati erant pulcherrimæ vrbis latiſsima itinera, productiſsimaque viarum ſpatia populoſis multitudinis greſsibus mox in ſemitam coarctata. Sublimes ædium contignationes interiùs deſertæ, pendulo hoſpite, aut inquilino habitatæ: locaue nec veſtigij capacia, qua proiectis, qua implexis laborantia corporibus, atque vnde acies oculorum dubia emanabat, ſpectatoribus non ſpectaturis conferta. Magnificum ad hæc ornandi itineris inſtrumentum, ſplendida fercula, ſumptuoſæ rhedæ, patriciæque pubis geſtatu thenſa præfulgens, quæ Regiam Virginem inumbrabat. Sed Regia hæc Puella inuicem viliora illa omnia inumbrando, luminoſiſsimi vultus maieſtate extinguebat. Reſpuunt iam oculi quicquid nuper tota pompa ſtupuerant: quicquid nitore, ſumptu, diuitijs placuiſſet, longè infra vnum Margaritæ adſpectum æſtimantes. quæ frontis, genarumque inæſtimabili decore ſplendeſcens, pudica oculorum demiſsione venerabilis, totoque corporis habitu ad immenſam dignitatem erecta, nihil adeò in illa ſpecioſiſsimi culminis luce, ac moderationem, grauitatemque tuebatur. Naturæ ſcilicet, corporiſue dona, quæ Margaritam commendant, præſtantior diſciplinæ, artiſque ornatus vincebat. In Lotharingiæ conchæ materno ſinu gemmantis educationis ſuccum Margarita hauſerat; quid niſi vertendum in candoris alimentum, emendatam, rotundamque morum puritatem, atque elegantiam?

Sub

Sub Genitricis ergo castigatissimo documento Sororibus benè sociata simillimis, & virginalis gratiæ sanctitatem, & parci sermonis temperamentum, & sincerum nudumque animi candorem, & inculpatum omninò pietatis studium pleno didicit exemplo referre. Huc enimuerò Gastonis quoque Parentis altã domi legem trahamus par est. Princeps quippe hic pacis artium exornator, antiquiorum subinde litterarum eximius, ac munificus cultor, dum Regios fratris liberos pulcherrimum pignus imperij tranquilla regit solicitudine: suas itidem lectissimas filias complexu, vultuque ipso custodit. Egregiè quidem ille de Gallici Regni amplitudine meritus. Quòd enim foris Ludouicus frater victorijs, ac triumphis Europam peragraret; hic pacem, securitatem, artesque præclaras suos apud ciues fouebat. Quòd ille fines Regni armatus, ac ferox extenderet: hic partis iam rebus fidus, ac vigil incubabat. Ditionem quòd ille, atque imperium militari virtute, ac bellicis studijs affirmaret: hic ditionis atque imperij futuros olim successores, crescentia germina, & Spes Augustas Borbonij sanguinis attentus domi rector educabat. Neque tamen, cùm belli vsus poposcit, strenuè res gerere distulit; hinc hostes arcendo finibus; illinc in eorum penetralia, Cortraco, Grauelinga, alijsque expugnatis vrbibus, gloriosum Gallis aditum patefaciendo.
Tam beatis ergo naturæ, fortunæque succincta muneribus, tantisque in Maximorum Parentũ sinu ornata virtutibus, venisti tandem Margarita Sponsa. Venisti non tam expetita nobis, Tuoque Sponso diuturnis meditata suspirijs, quàm Iure suo reposcenti Galliam Etruriæ venisti. Quòd si Etruscus olim quidam

dam

dam extitiſſe fertur, qui Gallos frugum dulcedine, pomorumque ſapore pellexit, vt ſuperatis primùm horrendis Alpium ſaxis in Italiam deſcenderent: Etruscus hodie Princeps Te Gallicam Heroinam amoris ſuauitate, ac nectarei prorſus connubij fide ad ſe vocat. non vt armis, damniſque Italia vaſtetur, ſed generoſiſsimæ, atque ampliſsimæ Sobolis ornamento beatiorem efficiat. Veniſti autem in eiuſdem Italiæ Florentiſsimam partem, nobilis ſceptri futura conſors, quod Mediceus Geryon trium quondam potentium Rerum Publicarum conflatis in vnum corporibus, meliori auſpicio nunc geſtat. Denſa hic oppida ſe ſe Tibi offerunt, & antiquo claræ nomine vrbes: locorum opportunitate atque vſu: ædificiorum nitore ac magnificentia: habitantium cultu, atque elegantia cum primis Italici ſoli ſpectandæ. Benè fidæ hic Nauium ſtationes; atque emporia ſe ſe pandunt inſtructiſsima. Nec minus ſapientiæ commercijs opulentiſsima hic celebrantur lycea, clariſsimæque doctrinarum aperiuntur palæſtræ: quarum è puluere tot magni prodiere Pancratiaſtæ, qui victuris ſcriptis, & eloquio barbariem, atque impietatem profligarunt; moribus, exemplo, prudentia nomen ipſi, ac patriam ſuam, litterariam Rempublicam, Chriſtianam Eccleſiam mirificè adiuuerunt, illuſtrarunt, propagarunt. Fortiſsimorum hic ſedes, atque origo militum; quos non tam nobilitatis aurum commendat, quàm ſanguis barbarorum maritimis expreſſus periculis oſtro ad immortalitatem inſignit. Hic ad quæſitiſsimos artium conatus acribus limata ſtudijs ingenia; quæcumque ſcalpro, tabula, norma deſudant; quæcumque ſtylo, radio, numero

impal-

impallefcunt. Quorum fcita, & laudabilia inuenta, pretiofifsimis nunc aula inftrumentis; nunc cimelijs, & fcrinijs mufæa; nunc pluteis, forifque bibliothecæ; nunc tam multis, ac varijs aliæ vrbes operibus, fed Florentina potifsimùm Etruriæ Princeps, numerofis, ftupendifque molibus penè in Cælum egrefsis ad æternitatem oftentat. Tuis verumtamen oculis, quin etiam noftris, nihil erit (reuera fcimus) aut mirabilius, aut pulchrius defponfo Tibi, Tuique fimillimo, ætate, fanguine, moribus Principe: quem concordi dulcedine, beatique amoris diuturno fociandum complexu fata pridem adnuerunt, Europa nunc atque Orbis gratulatur.

Ita Vos ad repetitum fortunatifsimæ Sobolis gaudium pronuba Cælorum indulgentia coniungat; vti illas, quas modò contemplabamur, glifcere in pofterum artes, florere ingenia, prouenire agros, crefcere mœnibus, tectis, incolis vrbes, Martios ad fortia facta euocari altiùs animos infpiciemus. Tyrrheni Argonautæ in eo Signo vincentes, quo pallet impietas, exultabant nuper, cùm Te Mafsiliæ foluentem placido, ac reuerenti tanti oneris mari, in noftras hafce oras triumphali claffe traijcerent. Quid ni illi exultaffent? Margaritam Phryxeo quocumque vellere pretiofiorem vehentes: primum fanè ornamentũ, ac lumen Coronarum, eiufce nempè nominis, cui facram armati pectoris fidem Stẽphanitæ milites dediderunt. Altiori quantò tamen profilient illi lætitia, cùm Sponfum Tuum, Teque fortaffe illi comitem, naui, armis, periculis confortem (quales bello feroces Radegundem olim Tuam, aut Puellam Aurelianenfem annales memorant Gallici): omninò au-

nò autem generoſa Tui vteri germina, hinc ad Ægæi latebras, & freta Marmarica, illinc ad Arabiæ, atque Orientis ſinus metuendis triremibus tranſportabunt. Eiſdem verò Liberis benefico enixu glorioſè tollendis, vt fauſta, ac fortunata omnia voueamus, plenoque ſecundiſsimi euentus augurio benè nunc ominemur, & obſequij ordo, & orationis hic tandem locus nos admonet. Si quid verò fabularis nos capit illecebra, aut blandis Poetarum commentis ſpes noſtras quoque fingere minùs dedecet: & amicam Venerem, & propitiam Tibi Lucinam ſpondemus. Nemo enim illud ignorat, Iunonij lactis, cùm turgido exiliret è pectore, poſt inſperſam Deorum ſemitam caducis veluti analectis Lilia in orbe canduiſſe. Fauorem proinde, nutumque obſtetricis Deæ gentilitijs Tuis Floribus augurari quis vetet? Non niſi quoque Cæleſtis Veneris, pudicæ Herοum conciliatricis opus interpretari licet, quòd Sponſum Tibi ſtiterit periculis morborum haud ita pridem defunctum, quibus pueritia tamquam vectigalis ſe ſe obſtringit. Ne quid ſcilicet ille in poſterum fugitaret commercij: Tu illi quidquam metueres, quod Regiam frontem iniurioſis maculis minùs ſpectabilem, minuſue placituram Tibi redderet. Seriò dicam; ne quid grauius illi timeres ab immani contagione, quam veluti epidemiam Principum intra vertentem annum Europa perhorruit. Omninò autem qui Tuis amplexibus progredi in virum, grandeſcere in patrem debebat, puerilia quoque dedidiciſſe, ac ſuperaſſe condecuit. Ea vtinam ſit Veri, ac Sempiterni Iouis voluntas, vt quicquid malorum in fati tabulis apud ſe condebatur, eo toto diſpuncto, ſola in poſterum

felicitas vtramque paginam faciat. Quicquid infortunij Etruſco populo, Sereniſsimæ Genti, Tibique ac Sponſo impendebat; ſiue inclementi ſydere ferienda ſalubritas; ſiue hoſtili furore laceſſenda pax; ſiue maligno anno concutienda vbertas, id totum exhauſtum ſit: ac nullo temeranda mœroris turbine, liquida poſthac, terſaque dierum currat ſerenitas. Nihil, nihil vel noxia labe corpora affligat; vel triſti cogitatione animos turbet; vel diro ſucceſſu Ciues, Domum, Imperium, Liberos Veſtros afficiat. Quorũ fortunatæ iam procreationi non Iuno tantùm fabuloſa hactenus præluſerit: ſed mulierum dominantium, matrumque familias alta in Domo potentium verum decus, ac ſplendor viam auſpicatè demonſtret. Iuſtiſsimum nuper votum ſupremo terrarum, ſyderumque auctori reddidimus pro felici, diùque exoptato puerperio Sereniſsimæ Victoriæ, Regnantis Ferdinandi incomparabilis Coniugis, quæ Auguſtam Etruriæ Domum alterius tandem Geniti prole communiuit. Quis non gaudere viſus eſt; atque alto intimæ voluptatis ſenſu perfundi? Nempè in meta iuuentæ cùm vterus diù torpuerit, officia matris animosè reſumpſit: ſobolem nobis repræſentando eiuſce ſexus, viuacitatis, ac ſpei, quæ vel noſtros optandi conatus facilè vincat.

En Tibi Margarita in Victoriæ partu fœcunditatis prodromus, ac melioris Lucinæ omen auſpicatiſsimum. Poſt longam illa ceſſationem iter ſignat, & faces præit felix puerpera. O quando illam nobis lætiſsimam lucem videre contingat duplici ſignandam vagitu, cùm duo Principes æuo gemini, cognatione impares eamdem fœminam in eadem domo auiam

ſimul,

ſimul, ac matrem hora eadem oſtendant, ac faciant! Habes quam ſequaris fauſtitatis prænunciam, pariendique recèns, vel ſera iuuentute magiſtram. Habes quam complectaris fortunæ, morumque ſociam, ac conſultricem. Præclarum Tibi virtutis præſidium erit, ſiue Socrum intuearis viuentem, ſiue è proauis Tuis Chriſtinam Materteram magnam ſuſpicias; omnia ad egregiæ laudis compendium, ſummæque gratiæ imitamentum occurrere. Quicquid hic eſt, quo virginei pudoris modeſtia, matronalis verecundiæ dignitas, publicæ priuatæque pietatis cultus meliori lege ſeruatur, aut creſcit: quicquid quod ægris ſolatium, perfugium miſeris, leuamen afflictis, egenis eſt beneficium: id magnam partem prudentiſsimis, incorruptisſimiſque earum exemplis debetur. Paria de Te, ac maiora nobis ſpondemus, & ingenitæ Tuæ magnitudinis, virtutiſque excellentia, & inculpati, ac lectiſsimi Sponſi ſocietate.

O Felix Etruria! o inuidenda tam beati connubij ſorte Prouincia! Quid Tibi aut togati regiminis ſapientia, aut bellicæ virtutis imperio illuſtre, ingens, auguſtum expectare non audes? O nobiliſsimum pugnacis Galliæ, & religioſæ fœdus Etruriæ! O ſequanæ vndam Arni gurgitibus feliciter copulatam! O Celticos Druidas Tyrrhenis Lucumonibus: O Soldurios Gallicos lictoribus Thuſcis: o gæſa faſcibus: o Sellis petorrita benè iuncta curulibus!

Quæ nunc æternitas Regum, adorandaque Heroum familia attendente Cælo, veſtrique amoris, maritæque concordiæ ſpondente vinculo, Auguſti Coniuges, balbutire iam virtutem, iam geſtire ad fortitudinem, nutriceque maieſtate generoſis reptare

ad gloriam conatibus propè videtur ! Omninò tempus illud cunarum, atque vberum voto premimus, ſpeque valida impellimus, cùm Tu Margarita Mater Patriæ diceris, vt Aurelianenſis olim Ludouicus Pater Populi audijt. Impotentiùs autem diem illam anhelamus, cùm adultos Tui vteri fructus, ſummiſque rebus maturos, obſequijs noſtris deducemus, protegemus corporibus, famulatuque, ac miniſterio in longa imperij fortuna, ad ingentes cùm pacis, tùm belli vſus noſtram illis fideliſsimam operam adprobabimus. Cùm ad vltimam, ſed viridem tamen progreſſos lentè ſenectam, nominis, ac laudis ob eximiè geſtorum amplitudinem tam multa ſecurè, ac firmiter perfrui collecta mercede intuebimur: quanta cum ipſo vix funere Orbis, poſtremaque rerum omnium eluuie decreſcere illis, aut carpi queat, ne dum obliuionem, aut deliquium penitùs pati. Sed nimium videlicet eſt, quod ipſi ambimus, aut ſperamus videre. Vel noſtri nec audeant liberi, Veſtros Liberos duratura ætate adæquare. Aurea Veſtrorum vita tam prolixo ducatur ſtamine, vt quam noſtri pleno iamdiù annorum iugo iuſtus lethi culter telam abrumpit: id Veſtris netum vix licium diſsimulantis Fati ſeriſsimas manus expectet. Interim, quod res eſt, ad Etruſci Solis ſerenum in iuuenta diluculum toto fœcunditatis rore impleare, felicis ſæculi auroram gemmeo nobis conceptu datura. Datura inquam niueos ciuiũ mores, albos lætitiæ dies, lacteos virtutum curſus. Quid ni tantumdem ſub Margaritæ, ac Liliorum candore, ſpe atque animo præſumamus? Niſi auream malumus innocentioris æui ætatem ab Aurelianenſi Nupta repetere. Sic mutua interim cura,

Regales

Regales Sponſi, mutuus eſtote, atque inoffenſus ardor, nullo vnquam frigore remittendus, ſed flammis quotidie amantioribus inſtaurandus. Sic fœdus animarum excolite arctiſsimum, nexumque cordium inuiolabilem beata iugiter conſortione perſtringite; vti Veſter Thalamus noſtra erit quies; amplexus & oſcula deliciæ noſtræ, noſtra incolumitas Vita Veſtra, Liberi Veſtri ſecuritas, & gaudium noſtrum. Exiliter nimium dixi: Erunt quinimò ſæculi lumen, Principum regula, Italiæ ornamentum, Etruriæ beatitas, Chriſtianæ Reipublicæ decus, Romanæ Eccleſiæ fida, ac potens tutela. Vt verbo comprehendam: Maiorum ſuorum æmulo virtutum paſſu grandia calcabunt veſtigia.

Quòd ſi precationibus, ac votis, quibus nuptialem veſtram proſequimur celebritatem, munera quoque adiungenda ex veteri inſtituto depoſcitis, libentes meritò damus. Non qualia ad Pelei, ac Tethyos nuptias, vel Cadmi, & Harmoniæ coniugium collata quondam celebrarunt Poetæ. Tunc enim pro ſe quiſque Deorum ſplendida, ac magnifica tradidere: haſtam hic amentatam fortitudinis argumentum: alatam hic virgam ſceptrum facundiæ: hic arcum lucis magiſtrum: hic monile ignis experimentum: aliam alij ſuæ potentiæ teſſeram, nouis ornamenta nuptis dedere. Quid verò nos? Non diuina munera, ſed ipſorum qui præbuerunt Deorum potentiſsimum Vobis deum Amorem elargimur. O munus rari datoris! rari etiam qui mereatur accipere. atque ideo beneficum, atque illuſtre, quoniã neq. iuberi, neq. cogi poteſt vt detur. Obtulerint alij, quæ in redimiculum, aut Sandalia regnantium

vxorum , aliamue mundi muliebris partem molli, ac ſpecioſo titulo erogentur. Nos dum Amorem offerimus, non munditiæ, aut cultui veſtrorum corporum; ſed Reipulicæ ac dominationis bono, veſtrique nominis, fortunæque ornamento conſulimus. Bullam cordis imagine præmium fœcunditatis accepiſſe olim fertur Herſilia; quoniam prima poſt coalitas hinc Sabini, illinc Romani ſanguinis domos infantem pepererit. Nos vera corda, ac ſpirantia, ſinceram fidem, perenne obſequium etiam ante quàm parias pollicemur. Quòd ſi mortalium flagitioſiſsimus, atque Imperatorum deterrimus vnicam infinito propè Quiritium populo exoptauit ceruicem, vnico vt ictu amputaret: nos è ſingulorum cordibus vnicum voluntate, amore, conſenſu facimus cor, vt faciliori deditione offeramus. Verùm opportunè ſubſidiariam cordis operam imploramus, cùm lingua titubat, labra torpent, eloquium deficit; neque vllam ſatis laudum veſtrarum immenſitatem, gaudiorum noſtrorum inexplicabilem copiam, Inuicte, ac Generoſe Coſme, Regia, atque Inclyta Margarita, indiſerti, imparis, reptabundi oratoris ſonare vox poteſt. Sed & cordium votis dum delegamus, quod loquela præſtare poſſe deſperat; diſertus ſit inuicem populi plauſus, clamoſus famæ rumor, vocales annalium linguæ, facunda poſteritatis memoria.

* * *

* *

*

8

Chimentellii



